

quare ejusmodi testes non admittantur, hæc est, quia familiares facile de mendacio conspirare, & confictos sermones afferre poterunt Mantz. *adh. artic. n. 25. p. 173.* quò sanè pactò Justitiæ detrimentum infertur in eo, quòd vel insons ejusmodi testimoniis gravari, vel delinquens à pœna liberari possit. Nisi fortean ab utraque parte producantur testes domestici, qui reo pariter & accusatori sint conjuncti, Wesemb. *in Parat. ff. de Testib. n. 3.* quia par affectionis ratio suspicionem tollit. Alberic. *de Maletis in Tract de Testib. c. 2. num. 70. p. 247.* Farinac. *l. 2. tit. 6. qv. 55. num. 92. fol. 45.* Nellus de S. Geminiano *de Testib. num. 11. p. 109.* Intelligenda quoque est regula hæc de non admittendo teste domestico de eo scilicet, qui tempore depositionis est de domo producentis: nam quando famulus vel alius domesticus ante tempus depositionis fuit dimissus è domo & familia, utique rectissimè ferre poterit testimonium, licet nuper demum fuerit dimissus, quia tempus saltem ferendi testimonii inspicitur, *per l. 3. §. 5. ff. de Testib.* nisi exceptio fraudis opponi queat. Metzger. *consil. 15. n. 98. p. 267.* Sed plura vide apud Farinac. *qv. 55. per totam.*

(8) *Ratione affectuum*, uti est vel (1) *Inimicus* l. 3. *pr. ff. de Testib. c. 3. Si testes. 4. qv. 2. §. 3. c. 19. Extr. de accusat. Auth. Si testis productus. C. de testib.* Barboza *ad illam num. 6. §. 7. fol. 71.* Brunnem. *ad eandem fol. 399.* Richter. *ad eand. p. 408. 409. 410.* ratio est, quia iratus nocere, & læsus ulcisci vult: Unde hæc inhabilitas particulariter & in specie respicit odium, rancorem, vel inimicitiam erga accusatum vel inquisitum, contra quem fertur testimonium, unde verisimilis timor falsitatis resultat. Antonius Gomezius, *Tom. 3. c. 12. num. 14. fol. 558. Variar. Resolue.* nam inimicus præsumitur malè velle inimico suo, undè etiam vindictæ suspitione non caret. Thomas Metzger. *Consil. 15. num. 22. p. 264.* Et hoc non tantum valet in vero, sed etiam in præsumto inimico, id est, tali, qui saltem suspectus est de inimicitia. Alber. *de Maletis, c. 2. num. 7. de Testib. p. 238.* seu causam habet inimicitia, Farinac. *l. 2. tit. 6. quest. 53. num. 24. fol. 4.* licet dicat, se eum, contra quem testimonium ferre debet, non odisse, nec eidem succensere, quia lex præsumit statim, quod si causa inimicitia subfuerit, etiam aliquem esse inimicum, etiamsi fortè animus nocendi cupidus non adfuerit. Tiberius Decian. *lib. 3. c. 35. num. 12. fol. 153. Criminal.* Imò si is, contra quem produci testis debet, causam inimicitia dedit, nam ne isti quidem inimici testimonio adhibenda est fides, nisi fortean inimicitia sit affectata, & eum in finem procurata, ut eò facilius detur occisio testem ex capite inimicitia repellendi, Farin. *l. 2. tit. 6. qv. 53. num. 18. fol. 4.*

Quæ.